

# DELINEATIO

Et vera

# RELATIO,

Invasionis & Oppugnationis Castrorum  
Turcicorum

à

POLONO & LITHVANICO Exercitu  
ad

# CHOCIMUM,

Ipsa Festa Martini, Anno 1673.  
factæ.

---

**D**Extera Domini fecit Virtutem, potentior enim hostis fuit utpote intra fossas & Vallum ingens, loco inaccesso ad flumen Tyram & Arcem Chocimensem, triginta millibus Turcarum fortiter armatus, intra duas horas Turcarum Robur periret. Res ex Particularibus constabit.

Die 9. Novemb. Exercitus Regni & Magni Ducat. Lithv. ante Vallum Husseim Bassæ, sub Chocimo ad binos Sagittarum iectus stetit, velitationibus ea dies transacta, cum Cæde tamen Turcarum, Nox aciem Polonam & Lithvanam, ad Castra quarta parte milliaris fixa, revocavit. Excubiis campestribus in loco Aciei relictis.

Die 10. Novemb restituta in hesternum locum Acies, nullum è vallo Turcamelicere poterat. Hora Decima tota Acies cum Tormentis vallo propior, datis è tormentis ignibus, Moldavo-

davorum sex millia, cum Duce Moldaviæ, per ultroneam Deditio-  
nem accepit, eorum vallum ex nunc Peditatu & tormentis  
firmatum, ex eoq; Globi Tormentorū in proximum Turca-  
rum vallum conversi, intra eandem Horam Tormentis Polo-  
nicis & Lithvanicis cinctū Turcarum vallum & impetum &  
ex vallo Moldavico insultus facti in vallum Turcicum. Nox  
detinuit explicatas Acies ad crastinum, sed & Pluvia quatuor  
dies & noctes Equis molestior fuit Pablo destitutis.

Die 11. Novemb. Hora octava Plebs quæ castra sequitur simul cum peditatu, quos pone secuti Equites, assultum in castra Turcarum fecere, primi vallum aggressi. Edextro Cornu Cataphracti vexilli Illustris. Palatini Podlachiae, iidemq; Turcas de vallo moliebantur. E sinistro cornu vexillum Cataphractorum Chodhieviez supremini Praefecti stabuli M. D. Lithvaniae, tum & illustris. Palatini Polocensis vallum subintrarunt, aliunde è Sylvâ Illustrissimus Dux M. D. Lithvaniae Portam valli expugnavit, quæ & vexilla Militum Regni confluxere. Fit Cædes ab utrinq; fugiunt Equites Turcarum ad Pontem Fluvii Tyræ, mox ab Illustris. Campi Duce M. D. Lithvaniae intercipiuntur, quibus instat à tergo Polonus, frameis res geritur, fit Ianiena super Pontem, alii Turcarum per medias Polonorū Acies armis viam frustra ad Templum Rutenicum quærebant, alii qvorum duo erant millia, fluvium ingressi, à Lithvanicis copiis oppressi cecidere. Post Equitum Stragem ad Janzaros ventum, octo eorum millia erant, quinq; millia ponte superato Camenecium fugiebant, sed & hos insecutus miles Polonus æq; ac Valachus, in eum finem ab illâ parte ordinatus, cadaveribus toto Cameneciensi itinere stravit, salvarunt se per pauci in Arce Chocimensi, quorum tamen expugnatio in crastinum dilata. Accepta itaq; Castra Turcarum, Auro, Argento, Tabernaculis, variisq; splendoribus, Equis ac Camelis plena, Peditatus post fortia gesta famenaque acerbam in Castris Turcarum parato

rato commeatu reficitur. Aliquot supra viginti Tormenta nostris cessere, Bassæ tres inter cæsos & ipsi cæsi inventi. Husseim Bassæ insignia intercepta. Primi quiq; Turcarum perierunt: Omnino Deus mirabilia fecit, in eo loco ubi ante 50 annos, Exercitus Polonus obsidione Turcarum premebatur. Cæterum & ex Polonis ac Lithvanis fortissimi quiq; cecidere, hastarum dimidia ferè pars in Hoste relictæ, bisq; Fortuna Polonorum intra vallum periclitabatur, nisi Deus & virtus ingens militum accessisset. Valachiæ, Moldaviæ & Transylvaniæ Duces cum suis Gentibus in nostras transferunt Partes, ingenueq; fatentur, fortissimum hisce in Castris Exercitum Turcarum periisse à seculo vix habitum, quorum Potentiam consulto ante Victoriam diminuebant, ne Polonorum animos frangerent.

Reliqua videre licet hac in delineatione:

- A. Cameneciūm.
- B. Arx & oppidum Svaniec.
- C. Pons super fluvium Tyram.
- D. Arx Chocim.
- E. Cerkiov, templum Rutenicum.
- F. Castra Turcica.
- G. Husseim Bassæ Tentorium & Vexillum primarium.
- H. Locus cædis Capitanei Brombergensis.
- I. Castra Moldavorum & Valachorum.
- K. Ordo Polonici &
- L. Lithvanici Exercitus.
- M. Tormenta bellica Polon. & Lithvan.
- N. Peditatus Polon. invadit & oppugnat castra Turcica.
- O: Invasio Lithvanorum Portam Turcicorum castrorum oppugnantium.

- P. Cataphractorum Lithvan. invasio.  
 Q. Turcarum ordo & defensio in castris.  
 R. Equites Turcici querunt fugam.  
 S. Turcae à Militibus Lithvanicis in castra & fluvium pelluntur.  
 T. Turcarum omni ex parte cinctorum confusio.  
 V. Turcae aufugiunt pars versus Camenecium Chocimum, Cetzora, pars se in fluvium præcipitat.  
 W. Tormenta Polonica è castris Moldav. ad castra Turcica.  
 X. Tormenta Polonica Chocimum oppugnantia.  
 Z. Sylva è quâ Exercitus Polonico - Lithvanicus ad castra pergit Turcica.

Insignis hujus de Turcis Victoriae præfigium reperire licet in sequenti Anagrammate sub felicis Coronationis, Sac: Reg: Mis, gloriofimæ nunc memorie, auspicio scripto.

**MICHAEL THOMAS CORIBUT**, PRINCEPS VISNIOWECIVS, DUX IN WISNIOWEC ET LVINIE, DIVINA NVMINIS INDVLGENTE GRATIA ELECTVS ET CORONATUS POLONORVM REX, LITVANIAE RUSSIAE PRUSSIAE MASOVIAE LIVONIAE VOLINIAE SAMOGITIAE CYHOVIAE PODLACHIAE, SMOLENSCIAE, SEVERIAE CSERNICHO-VIAEQUE &c. &c.

Per Anagramma parum Metricum

Ad Fortissimam Poloniam.

IN regno cum SOLE NOVO POLONIA LVNAM  
 Alpicis: hinc vivum Te vocitabo Polum.  
 REX TVVS ob radios animi SOL jure meretur  
 Dicier: illius cætera stemma tenet:  
 I nunc, duc, jacta, curvatas ASIA Lunas  
 Ingens! Lux hac his cedere nescit ovans.  
 Hic est uniti LUX ipse JEHOVA PIASTI  
 GENS IN EO, voveo, vive, vigeque, diu!